

nisi quid mi opis di dant, desperii, neque unde auxilium expetam <ego> habeo; an7
itaque <et> petulantia mea me animi miseram habet <et nequitia angit>
quae in tergum meum ne veniant, male formido, ba4
si era me sciat tam socordem esse quam sum.
quamne in manibus tenui atque accepi hic ante aedis 675
cistellam, ubi ea sit nescio, nisi, ut opinor,
loca haec circiter mi excidit.
mi homines, mi spectatores, facite indicium si quis vidit, an8
quis eam abstulerit quisve sustulerit et utrum hac an illac iter institerit.
non sum scitior, quae hos rogem aut quae fatigem, ba4 680
qui semper malo muliebri sunt lubentes.
nunc vestigia hic si qua sunt noscitaro.
nam si nemo hac praeter iit, postquam intro abii,
cistella hic iaceret. quid hic? perii, opinor:
actum est, ilicet me infelicem et scelestam. 685
nulla est, neque ego sum usquam: perdita perdidit me.
sed pergam ut coepi tamen, quaeritabo.
nam et intus paveo et foris formido, an4
ita nunc utrubique metus me agitat.
ita sunt homines misere miseri:

— ~ — — ~ — — ~ — — ~ —
ille nunc laetus est, quisquis est, qui illam habet, cr4 690
— ~ — — — — — ~ — — ~ —
quae neque illa illi quicquam usui et mi potest.
— — — ~ — — ~ — — ~ —
sed memet moror, quom hoc ago setius. ba2bacol
— — — — — — — — — — — — —
Halisca, hoc age, ad terram aspice et despice,
— — — — — — — — — — — — —
oculis investiges, astute augura.

Text and scansion from Cesare Questa (ed.), *Titi Macci Plauti Cantica* (Urbino, 1995).